

Quæ omnia Io. Damascenus ante, et Gregorius Nazianzenus postea videntur confirmasse. Damascenus quidem libro I cap. 18 his verbis de Spiritu sancto loquens: Πάντα τῇ οὐσίᾳ πληροῦν, πάντα συνέχων, πληρωτικὸν κόσμου κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀχώρητον κόσμῳ κατὰ τὴν δύναμιν.

“Omnia implens essentia, omnia continens, implens mundum per substantiam, quem mundus non capit secundum potentiam.”

Nazianzenus vero, et hæc verba reperit, et addit alia, inter quæ, hæc:

Πνεῦμα τὸ ποιῆσαν, πνεῦμα τὸ γιγνῶσκον ἀπαντα, ἐνεργουῶ ὅσα θὲος, παντοδύναμον δια πάντων χωροῦν πνευμάτων, νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων.

“Spiritus qui fecit, Spiritus qui cognoscit omnia. Operans quæcumque ut Deus, omnipotens per omnes penetrans spiritus, intellectuales, puros, tenuissimos.”

Hæc vetustissimorum sapientum divinissima de Trinitate dogmata Græcorum philosophis nullis præter Pythagoræos, et Platonicos nota, huc attulimus secundum veritatem philosophantes, ut post hac philosophiæ studiosi omnes scient, posse humana ingenia, et aliter, et altius quam in Peripato, ut nunc omnis turba facit, philosophari, et rerum veritatem indagare.

*FINIS NONI LIBRI.*